POGONIA.

Virtutis suâ luce
Natalium splendore celeberrima,
DVM
ILLVSTRISSIMVS PRINCEPS
& Reuerendissimus Dominus, Dñus.

D. CASIMIRVS FLORIANVS
DVX IN KLEVAN
CZARTORYSKI,

Dei Gratiâ Episcopus Posnaniensis,
Dei Opt: Max: auspicatissimâ Gratiâ, Regni Diuorum Tutelarium suffragijs, ad sanctissimi sui Nominis gloriam, Ecclesiæ & Reipub. incolumitatem, Ciuiumque vniuersorum salutem perpetuam;
IN
Celeberrimo Concursu spectatorum solenni ritu LOVICI 29. Ianuarij consecraretur.

A
M. NICOLAO SVLIKOWSKI,
S. Theol. Professore, in Acad: Crac. Canonico ad Ædes
S. ANNÆ,
In Gratulationem amplissimi honoris descripta.

CRACOVIÆ, *In Officina Francisci Cæsarij, S.R.M. Typog. Anno* 1651.

STEMMA ILLVSTRISSIMÆ DOMVS.



Currit Eques, gladium dextrâ qui vibrat acutum,
Tartara, ne feriat, te Hæresis, atra pete.
Robur inest manibus, Pallas sibi pectus obarmat,
Et sacrum cingit, caßis honora caput.
Ocyùs hinc fugias, Christi defendit ouile,
Et Ditis sæuos, proterit ense lupos.

POGONIA.

PVblicæ lætitiæ & iucunditatis, in animis, vultu, oculis, omnium Tibi & Tuæ dignitati gratulantium expreſſa ſignificatio, facit Illuſtriſſime Antiſtes, vt honores quos in Eccleſiâ Dei, & Patriâ Diuinâ ordinatione & voluntate, pariterq; grauiſſimo Regis iudicio, conſecutus es, gratulari audeam; non verborum inani ac vano apparatu, ſed officiosâ deuoti animi promptitudine inſtructâ Oratione. Pridem Tibi,& Tuo Illuſtriſſimo Generi, armis, & militari Tuorum Maiorum gloriâ colluſtrato, & cultu literarum, non mediocri inſignito, debitum præmium fortuna, ſuâ cæcâ temeritate, eò vſque diſtulit, & remorata eſt,vt planiùs & apertiùs Dei Præpotentis Prouidentiâ, cum alia hominum negotia regi & gubernari, tum omnium honorum ſublimes faſces, æquiſsimè tradi, concedique intelligerent vniuerſi. Itaque vident, qui adſunt pompæ, atque adeò præſenti honori Tuo, ornatiſſimum præſtant comitatum, fatis bonis, Eccleſiæ Poſnanień. illum redditum eſſe Paſtorem, & Præſidem,cuius conſilio,authoritate, felicitate, effectum iri, non vana ſpes eſt; vt ſi quæ cæleſti & Diuino cultui, commodis & vſibus Eccleſiæ, inſcripta, & adiudicata, alicuius effrenata audacia,& ſuperba licentia contrectauit, ea omnia oppreſſa vi & iniuriâ reſtituantur copioſiſſimè. Vident quos Tu Tibi, antehac multis obſtrinxiſti officijs, Viri literati, Te Senatus Poloni ornamentum, & lumen, ad cuius conſpectum, omnes tempeſtates,quæ graue diſcrimen Academiæ,cum legum & immunitatum detrimento portendebant, cum nebulis & tetrâ caligine effugient & euaneſcent. Quid ergo erit, quod mei grati & officioſi animi, in hoc publico ſenſu felicitatis & lætitiæ, impedire & retardare poſſit, præclaram in Te voluntatem? Academia

profectò Crac: vnica & Illustris Schola Regni, quantũ in antecessore Tuo, gloriosissimæ recordationis ANDREA SZOLDRSKI, amisisse se fatetur, tantùm in Te Patrono, & Conseruatore, acris consilij, & ingenij viro recuperasse, certâ cum fiduciâ animi intelligit & recognoscit. Et si sub illius Patrocinio, & tutelâ inclyta Respub. literaria, pacatè & tranquillè conquiescebat, etiam sub Tuâ fide & curâ, quam adepta est, à Sanctissimis Regibus, & Amplissimis Ordinibus Regni securitatem, & gloriam, porrò inuiolatam integramq́ue retinebit & conseruabit. Non poterat certè Serenissimus ac Potentissimus Rex, suâ authoritate, maximâ & grauissimâ prudentiâ, sapientiùs, & meliùs, tantarum rerum momenta, moderari, quàm cùm in eadem domo, familiâq́ue, Ecclesiæ & Patriæ, decora illustria voluit remanere: cuius nomen cum debitâ obseruantiâ, & cultu maximo, colere & venerari consueuit Academia. Cui eò gratior & iucundior est Tui honoris amplissimi accessio, quòd non solùm Te, Senatorem Consilio, grauitate, & sapientissimo iudicio, præditum aduertat, sed etiam Regum Serenissimorum, quos fama & illustris gloria, ob præclara facta, pro Ecclesia, pro imperio clarissimè administrata, *extra anni solisq́ vias extulit*. Fundatorum suorum Munificentissimorum Illustrissimam propaginem, trabeâ Episcopali illustrem colit & obseruat. Ne enim hoc loci, longo ordine & serie Maiorum Tuorum merita recenseam, satis gloriæ, satis laudis, & dignitatis habes, quòd Vladislai Iagellonis Regis Serenissimi & Sanctissimi Poloniæ, ex Fratre Pronepos verè & meritò dicaris. Eius Regis, quem & pacis & bellorum decora nobilitauerunt: vt cuiusuis veterum Imperatorum, & Heroum ornamentis, possint, non solùm conferri, verùmetiam anteferri. Quapropter quò plus in se gratiæ, & præsidij, ex amplissimâ honoris Episcopalis accessione deriuatum iri confidit, eò promptior & alacrior, ad Illustris: Celsitudinem, accedit gratulabunda. Orat modò obtestaturq́ue Reuerendissime Domine, vt cum illâ tacitus Tuæ Gentis, Tuaq́ue decora, recognoscas, & ad perfectiorem publicæ lætitiæ, & felicitatis significationem, excitandam & augendam, in memorandam omnium seculorum cursu, Tuarum Virtutum venias recordationem.

Sed

Sed vnde potissimùm in tàm immenso Tuarum virtutum agmine, dicendi sumam initium? quàm quòd & tutum sit,& ad communis lætitiæ cumulum, vehementer faciat, Heroicæ propagationis meminisse. Quæ huic Regno multiplex fœnus peperit gaudiorum, siquidem & securitatem dulciorem reddit, gloriæ Maiorum Tuorum recordatio, & felicitatis sensum acuit, anteactæ vitæ Tuæ memoria. Lithuania simplex, & suorum fautrix regio, cœli clementiâ, soli fertilitate, Ducum vi & robore, ciuium moribus, & ingenio laudatissima, Principum & virorum Nobilium rebus gestis famigerata, cui fato quasi humanitas, virtus,eruditio, multifariæ artes, atque opulentia rerum, quâ aliæ prouinciæ viuunt & aluntur, deberi videntur; domus & familiæ Tuæ principium est, & origo: tanquam illius cuius maxima semper fides, incredibilis sapientia, fortitudo planè diuina, in tuendâ conseruandâque salute, Poloniæ præstantissima extitissent officia. Plena sunt antiquitatis monumenta, luculentissima testimonia gloriosè posteris loquuntur, à Ducibus Lithuaniæ, immortalis gloriæ hæreditatem Regum non modò gnauiter defensam, verùmetiam auctiorem & ornatiorem ad hæredes transmissam. Primus fuit GEDIMINVS, Magnus Dux Lithuaniæ, eximium decus Romanorum, ex Domo Columnarum, qui felicitate suæ gentis, ad gloriosam recordationem longo annorum ordine nomen Lithuanum propagauit, nec motu vario temporum, nec rerum vicissitudine vnquam abolendum. Duodecim ei Nepotes viri fortissimi obtigerant, qui tanquam leones thronum Salomonis, suo inuicto robore, & infracto animo, Paternam ditionem sustinuerunt, defenderunt, & ornârunt. Qui tanquam duodecim fontes, de quibus Sacra scriptura testatur inundatione suâ & illuuie, Aquilas Moschorum, Lunas Turcarum,& Scytharum in profundum interitum demerserunt colubros. Qui tanquam duodecim lapides ad Iordanem positi, oppositu laterum & corporum suorum, hostilem impetũ à finibus Lithuaniæ represserunt. Iactet ergo Græcia, Parens & nutricula Principum, & bellatorum fortium, fæcundissima, quantùmlibet Hercules ac Theseos, Achilles atque Hectoras. Ostentent suos Epaminondas, magistri & inuentores legum, The-

bani solertissimi: Xerxes ac Cyros auro & opibus maximis Persæ superbissimi: Lysandros Lacedæmonij, consilio & sapientiâ clarissimi, Themistocles Athenienses prudentissimi, Alexandros Macedones; Græci; Annibales Pœni bello exercitatissimi: Scipiones ac Cæsares, triumphis, ac trophæis, victoriarum Romani clarissimi. Brennos Galli extollant generosissimi, & in statuis aut saxis, nunquam fluentibus si malint incidant. Polonia & Lithuania Tuos Atauos Proauos GEDIMINO non degeneres; virtute, robore, sapientiâ Abnepotes; Nepotes, non dubitat cuiuis horum anteponere, & in monumentis æternæ laudis, quæ non obscurat obliuio, non carpit posteritas; incidere. Numerent illi Reges subactos, in triumphis cum admiratione omnium gentium, ac stupore ductos, fusos exercitus, Prouincias imperio subiugatas: Polonia contra, tot talesque Duces, beneuolentiâ deuinctos, Principes affinitatè adiunctos, gentes varias ac multiplices, fœderibus concordiâque adstrictas, quæ in laude æternâ versantur, meritò iactat, numerat, & recenset. Primus est IAGELLO felicissima propago, GEDIMINI, Frater germanus CONSTANTINI DVCIS CZARTORYSKI Abaui Tui Princeps gloriosissime, qui cum octo quadraginta annos, in Poloniâ regnasset (non ex mirothecijs Oratorum pigmentis, sed ex Oratione Roxolanæ Suadæ suauissimæ Stanislai Orichouij depromam, nō dubitata veritatis documenta) *multa trophæa de hostibus, omnis generis constituit. Inter quos Germanos, memorabili pugnâ ad Dambrouum in Prussia deuicit (quod nulli vnquam Regi neq; nationum de Germanis licuit) Hic solus est inuentus, qui cæsis in acie, vno die Germanorum quinquaginta millibus, Germanos à Polonis posse vinci docuerit. Magnus hic fuit, & excellens Rex, admirabili regnandi sapientiâ præditus, qui non satis se functum officio, ac munere Regio putabat, si tantùm res humanas administraret, nisi etiam res Diuinas, summo studio curaret. Itaq; Lithuaniam, nunc claram toto orbe terrarum, & religione, & fide, ad Ouile Christi primus adduxit, ibiq; tot Ecclesias dicauit. Deinde cum literas ipse nullas sciret, tamen hic omne literarum genus, ac Musas ipsas, tàm Latinas, quàm Græcas in Poloniam introduxit. Nullum regnum esse ratus, absque literis, nihilque Sancti, atque iusti, neque honesti, ibi posse esse vbi Philo-*

sophia

ſophiæ non verſaretur nomen. Quòd illa ex agreſtibus ciuiles, ex immanibus mites, ex barbaris doctos, ex hominibus poſtremò Deos ipſos ſoleat efficere. Huic ergo tam excellenti, ſiue arti, ſiue virtuti, ſiue diuinitati potius cuidam, VLADISLAVS IAGELLO *domicilium, in ea Vrbe collocauit, quæ Princeps & domina Vrbium eſt, Caput regni; ſedes & arx Regum.* Atque vt ita res non tam argumentis, quàm ſignis, non verborum volubilitate, quàm rei perſpicuitate, palam omnibus fiat; Auguſta & ipſa antiquitate religioſa in DVCIBVS CZARTORYSKI POGONIA, non aliud quàm Principum & Ducum bellicoſorum illuſtre Nomen tot retrolapſis annorum ſeculis vſurpauit. Ita vt in hoc Genus Illuſtriſſ: nulla vis fati, neque violentia hominum inuidorum, quicquam potuiſſet: quæ alias domos præſtantiſſimas, concuſſit, labefactauit, & euertit: Hanc verò ad gubernandas gentes, conſeruandum publicum bonum, Patriæ & Eccleſiæ, ampliandum decus & ornamentum, conſeruauit incolumem, longè latequè produxit. Loquitur palamque recognoſcit Lithuania & Ruſſia, vnis moribus, vnis legibus coniuncta, generis Tui autorem, CONSTANTINVM DVCEM CZARTORYSKI, alioſque Viros & armis, & conſilijs præſtantiſſimos, ex ſuis radicibus ortos, magnificè ad poteſtatem cum imperio & dignitate productos. Quibus ſemper adiuncta ea fortuna fuit, vt cùm ſe publicis neceſſitatibus, & publicæ felicitati promouendæ impendiſſent, hoc vnum ſolicitè & laborioſè contendere, ne vlla in parte bellatorum fortiſſimorum munus & glorioſum officium à DVCIBVS CZARTORYSKI, vnquam deſideraretur. Formidanda vniuerſo Regno Poloniæ, Tartarorum & Turcarum impendebat tempeſtas, ignis, flamma, & calamitoſa incurſionis hoſtilis trepidatio impunè graſſabatur, per Volhyniam, Podoliam, vi, ferro, armis inſeſſam, vaſtitas agrorum, depopulatio Vrbium, omnium bonorum direptio, magis ac magis in dies inualeſcebat. FEDOR DVX CZARTORYSKI, Capitaneus Luceorień. confertiſsimam Virorum fortium manum, ipſe fortiſſimus delegit, conſcripſit; in aciem produxit, & hoſtilem feritatem, ferro, & vindice manu coercuit, & hoſtem immaniſſimum cum turpiſſimâ ignominiâ, & perpetuo dedecore, in ſuas latebras & latibula fugere coegit.

 Quare

Quare grata Reſpublica Polona, & memor tantæ ſtrenuitatis, & periculorum, pro ſalute & integritate ſuſceptorum, ad Stemma Ducum antiquum COLVMNÆ, quæ tanquam Pharos Ægypti variarum virtutum ſplendoribus in orbe Sarmatico collucebat: tanquam Hebræorum columna, aduerſus Solis violentiam fundebat vmbram, aduerſus Lunæ rigorem, præſtabat flammam, etiam equitem armatum, tanquam nouum teſtimonium fortitudinis & roboris addidit, bellatorem. Et equidem merito. POGONIA enim ius ſalutis communis tuendæ ſuſcepit, in cuius humeris publica pax, religio, libertas, aræ, à graui periculo ſeruandæ conſederunt. Illa enim ſemper in ſole & puluere Martio immoratur, vt vrbes & oppida intra tepidos parietes, pace & tranquillitate perfruantur. Illa non ſomnum, non lectum ad quietem datum habet: ſemper in curſu, in labore, defatigatione, vt ſaluti ciuium, integritati bonorum, immunitatibus Eccleſiæ prouideat & proſpiciat. Viuit & ſplendeſcit clariſſimè, nulla antiquitate temporum obruendus, in hiſtoricorum monumentis grauibus & difficilibus rebus probatiſſimus, & omnium exiſtimatione feliciſsimus, filius eius ALEXANDER DVX CZARTORYSKI, Palatinus Volhyniæ: qui Valachorum, Moldauorum, Scytharum, ferarum potiùs, quàm hominum, numeroſiſsimum gregem, Poccuciam, Podoliam, igne, ferro, depopulantem, fortunas Nobilium, ad miſerandam direptionem proponentem, filios adprobroſam & fædam deſignantē contumeliam, partim in Iſtrum ſanguine illorum coloratum, protruſit, demerſit, partim in campis, cadaueribus contectis, illorum vaſta & immania tanquam Cyclopum corpora, lupis, & vrſis, dilaceranda & deuoranda in pœnam & ſupplicium tantæ audaciæ, & crudelitatis reliquit. Effloreſcit & propagatur, ad omnem æternitatē, laus & gloria IOANNIS DVCIS CZARTORYSKI, Proaui Tuæ Celſitudinis. Cuius prudentiæ & conſilio ſub tempus belli Moſchouitici, Rex Poloniarum Auguſtus, Palatinatum Kiiouienſem gubernandum & regendum demandauerat. Non neceſſe commemorare, quod in omnium ſermone verſatur, & percrebreſcit quantâ authoritate, quantâ animi æquitate, quantâ honeſtate, fide, religione, ſtudio exiſtimationis bonæ, ſalutem commu-

communem, & ſtatum illius populi procuraret. Vt omnes quæcunque religiosè, ſanctè, prudenter in illo Palatinatu administrata, & geſta fuiſſent, vni tunc IOANNI Duci CZARTORYSKI, rerum potienti referrent accepta. Ita præfuit ei loco, in pace, vt & ciuibus, & ſocijs gratiſſima eſſet eius integritas, & fides. Quem non tàm ſupra ſe, quàm pro ſe experiebantur, cuius vigilantiam excubare pro ſalute, ſingulorum & vniuerſorum quotidie, non valetudini parcere, non vitæ ſuæ delicijs indulgere cognoſcebant. Qui ſolus in negotio, vt alijs otioſis, ſolus in excubijs, vt quietis, ſolus in metu, & trepidatione, ingruentium malorum viuebat, vt alijs magnopere ſecuris, pacatis tranquillisq; viuere liceret. Eūdum erat Sereniſſimo Regi, STEPHANO BATHOREO, qui conſilijs factis, veterum Imperatorum non adæquauit: ſed ſuperauit, gloriam, in Moſchouiā; IANVSSIVS Dux CZARTORYSKI, Patruus ILLVSTRISSIMI Parentis Tui, tantarū difficultatum, laborum, periculorum, non modò ſe ei comitem, magnis impenſis dedit, verùm etiam omnium illorum, quæcunq; in ſolo hoſtico, ſubeunda erant participem. Hyemandum erat Regi glorioſiſſimo ſub pellibus, in regione aſperâ, propter hyemis acerbitatem, & propter cœli illius, longè maiorem inclementiam, niuibus altis ſupernè operiri oportuit, non locum quietis, non cibum ſanitatis, non horam periculorum, mortiſque vacuam & inanem, habere neceſſitas premebat; declarauit promptam voluntatem ſemper in Sereniſſ: Regem, & affectus grati propenſionem, quam requirebat tumultuans Moſchouia, in Regnum. Oſtendit nefas, Principem formidoloſo & graui periculo deſeri, & communem fortunam, cum Sacro capite, in ludibrium, & libidinem perduelli hoſti obijci, probroſum eſt arbitratus Dux IANVSSIVS CZARTORYSKI, Poſtpoſuit priuatas rationes, publicam dignitatem eſt amplexus, delicias domeſticas, & commoditates contempſit, repudiauit, in diſcrimen vitæ, pro ſalute Patriæ, & honore Regis perpetuo, ſeſe coniecit. Et cùm per infectos ſanguine gladios, præſentesque mortes, gloriam & victoriam quæſiuiſſet, ad *Pſchouum* Sarmaticus Fabricius, cum ſanguine generoſiſſimo pro Regis honore, Patriæ integritate, vitam æternùm victuram, effudit. Habet hoc & Parens ILLVSTRISSIMÆ Tuæ Celſitudinis, NICOLAVS

LAVS GEORGIVS Dux CZARTORYSKI, Castellanus Volhyniæ, Vir ingenio, & consilio, acerrimus, planè Paternum. Cui ego summam felicitatem gratulor, vt largiatur Deus, immortalis, quam non animi fastu, non vllis priuatis emolumentis, sed totam publicis commodis metitur & promouet. Ipse enim maiorum suorum perennem memoriam, gloriosis victoriarum trophæis, egregijs meritis, heroico animo, adimpleuit, & auxit. Non gloriatur alienâ luce, qui veterum ferè omnium gloriam sui nominis splendoribus offuscauit, & noui claritate luminis, familiam Ducum CZARTORYSKI collustrauit. Exortum erat bellum crudele & nefarium, in Liuoniâ; illius signa & vexilla, proprijs ac ingentibus impensis producta, salutaria aspexit Patria & felicia, quæ hostes tanquam fatales in cœlo cometas, suo sanguine rubentes horruerunt. Fuit theatrum, in quo eius virtus admiranda omnibus enituit, fuit campus Martius, in quo incredibilis fortitudo, Serenissimi Regis, amplissimi ordinis & omnium nobilium, animos in se conuertit. Nam adhuc illi iuueni Regiâ authoritate, cum in Valachiâ contra Scythas & Turcas, militum legio commissa, Patriæque salus, & incolumitas eius robori, & dexteritati fuisset commendata, incredibili sapientiâ, vigilantiâ, prudentiâ, in hoc vnum negotium incubuit, vt hostium audaciam suo consilio, & pertinacem impetum, suâ animositate, & constantiâ retuderit; Scythis & Valachis, in acie fusis & prostratis, Turcâ vero ipso, qui compedes fluuijs iniecerat, Danubiumq; ponte adstrinxerat, fugiente & frendente. Quin etiam hoc tempore perdito & afflicto, luctuosâ oppressæ Patriæ ruinâ, (heu lingua singultu grauissimo, & maximis lachrymis impedita, eloqui non potest) Hydræ capita in perniciem Ecclesiæ, & funestum exitium Patriæ pullulantia, suâ charitate in Patriam, & Ecclesiam Magnus Sarmaticus Hercules resecuit. Venio ad genus Maternum Tuum ILLVSTRISSIME PRINCEPS, quod & antiquitate Nobilissimum & factis præstantissimis, à tot seculis annorum enitet, & eminet in orbe Polono. Quod si homines prædicare destiterint, mutæ regiones, vastæ solitudines, agri & campi deserti, inculti, asperi, loquentur. Magna sunt Materna gentilitia familiæ Tuæ decora, & merita antiquitate gloriosa, famâ semper

constan-

constantissima, & maxima, quorum Tu es PRINCEPS, hæres, & Dominus perpetuus. Suspice in Matre Tuâ Heroinâ Prudentissima, Ducem SAMVELEM KORECKI, fratrem eius germanum; Virum bellicosissimum, in pluribus bellis victorem felicissimum. Suspice si excidit obliuione meâ præstantia, in tàm copioso ordine, & longa serie Ducum, gloria & nominis dignitas: Equidem solida meritis Maiorum Tuorum virtus semper ascendit sursum, nec vnquam infelix præcipitium, aut fatalem occasum pertimescit. Suspice illud fulmen belli, quid in fulmine, quod non in SAMVELE KORECIO? Illo nihil velocius, nihil validiùs, celeritate tantâ volat, vt priusquam volet, adsit, priusquam appareat, vulneret, interficiat, priùs diruat, quàm ruat, & in momento, cœlo æmulas Pyramides, excelsas turres, columnas marmoreas, ære perenniores, annosas arbores, multorum seculorum testes, labefactet, concutiat, collidat, comminuat. Ecce naturæ genius & ardor Ducis SAMVELIS KORECKI, Martis potiùs quàm hominis. Cuius adolescentia ad scientiam rei militaris, imperijs, victorijs, ac triumphis fuit erudita. Erat ille fulmen belli, quantâ enim celeritate bellorum victorias est consecutus? quas barbaras gentes bellando non adiuit, quos hostes Regni & Ecclesiæ non gloriosè vicit, adeoque vicit, vt citius vicisse quàm venisse cognosceretur. Iam in Valachiâ, iam in Moldauiâ, iam in visceribus Turcici imperij, nunquam vicariâ operâ, sed vbiq; præsens, & fortunatus versabatur. Virtus illa KORECII, stare loco nescia, priùs ad hostes penetrauit, quàm venientis fama percrebuit: priùs gladius conspectus, quam nuntius auditus: priùs clades, & vltimum exitium hosti illatum, quàm ab eodem metus intra conceptus est. Ita fulmen illud quiescere, sistere, cunctari, nesciebat. Omnem viciniam trepidatio belli incessebat, rumorque increbrescebat Turcis fatalem, & pestiferum comparari occasum, atque eum interitum, quem nec feroces olim Galli, nec sanguine humano madentes Vandali, nec omni diritate nobilis suis cum Hunnis Attila inuexisset. Trepidauit ad cohortium illius nuntium Constantinopolis, caput & domina Græciæ, vbi securitatis Otthomanicæ, & imperij arcem & sedem, prædo ille Asiaticus collocauit. Et facilè intolerabile seruitutis, liberis populis, & libertati assuetis iugum impositum

poſitum Heros ille excuſiſſet, niſi læua nimium mens fuiſſet, illis militibus, qui blandis fœderibus circumuenti, inglorij & ſinguli perire, quàm glorioſiſsimam belli fortunam experiri maluerunt. Ducis autem KORECCII contemptrix mortis pro Patriâ Virtus, dum ſe torrentis inſtar latiùs diffundit, illicò obſidione cincta, hinc & inde heroicos auſus, generosè explicat, & fulminis inſtar, obuia quæque proterit, atque comminuit: Sed tandem ingruente hoſtis multitudine, iniquo afflictæ Patriæ fato; in Otthomanicam poteſtatem redigitur, & efferatæ crudelitati barbaræ gentis exſatiandæ victima ſeligitur ex vniuerſis. O durum Reipub. iam tum labanti vulnus, tanti viri occaſu inflictum! ô nullis lachrymis deplorandam boni publici diminutionem! Hic hic profectò fuerat, qui non modò Romanorum Duces, Fabricios, Scæuolas, Regulos, Attilios, in laude & gloriâ militari, in deuotione vitæ, verùmetiam in genere mortis eſt imitatus: cum ſe Deciorum inſtar, pro Patriæ ſalute ad hoſtem iturus libentiſsimè deuouiſſet. Sed cum meo animo vetera repeto, mentiſque oculos, per antiqua Auorum Tuorum materna decora circumfero, meam ſubeunt memoriam DVCES WISNIOVIECII, qui ſicut dignitate & honore antecedunt gentes, & familias in Ruſsiâ; ita vetuſtate temporis, & annorum ſpatio immemorabili poſt ſe relinquunt ferè omnes, adeò vt ſcriptorum curam, & diligentiam cogant ſuæ magnitudini ſuccumbere. DEMETRIVS DVX in WISNIOVIEC Turcarum Imperium, & barbaras Scytharum regiones, non vno modo attriuit, ſed plurimis bellorum ſtrategematibus, ac innato robore, & vi debellauit, Valachiam vaſtauit, afflixit Moldauiam, Vrbes & oppida ad Danubium, vſque, tanquam fatali quodam incendio corripuit & inuoluit. ANDREAS DVX in WISNIOVIEC, Tuus Proauus primo Caſtellanus, tandem Palatinus Volhyniæ, CONSTANTINVS Palatinus Ruſsiæ, Tui Parentis Glorioſiſsimi Auunculus, quas curas, quæ tædia, quos labores, & quidem grauiſsimos, pro Patriæ bono non ſuſceperunt? quæ pericula non ſubierunt? An non illam animi vim, illam in ſubeundis periculis admirabilem conſtantiam, in rebus moliendis, efficiendiſque velocitatem incredibilem, & præclaram in Rempublicam Polonam, in ſuos fidem abundè ſunt conteſtati? Hæc eximia ſe-

mina

mina meritorum Maternæ Familiæ Tuæ, quis luculenter videre non poteſt. His temporibus grauibus, & formidoloſis in HIEREMIA DVCE in WISNIOWIEC, Palatino Ruſſiæ prudentiſsimo, & bellatore acerrimo, propter palmas deportatas ex hoſtibus barbaris, trophæa erecta, & triumphos ductos, celeberrimo. Quæret poſteritas, quis Ruſsiam perditis & calamitoſis temporibus labefactatam, concuſſam, debilitatam, ac planè extinctam, in ſtatu ſuo conſeruauit? Vnus HIEREMIAS DVX in WISNIOWIEC, conſeruauit. Cuius induſtria, tot in Moſchouiâ magnis impenſis, in Scythiâ & vicinis Prouincijs partæ ſunt victoriæ? vnius HIEREMIÆ DVCIS in WISNIOWIEC. Quem agnoſcere, tot periculorum depulſorem, & illatarum Patriæ, Eccleſiæ, à rebellibus Schiſmaticorum ſubditis, iniuriarum ſera poſteritas, & conſequentes populi venerando admirari debebunt, ſilentio? Vnum HIEREMIAM DVCEM. Ille fines ſuos ab excurſionibus hoſtium, & latrocinijs defendit, ille exercitui Regum Poloniæ, contra Moſchos perduelles, contra Scythas, bonorum raptores auxilia miſit, atqui eo tempore miſit, quo mittere Patriæ neceſſe fuit, tum miſit, cùm miſit nemo, & qui noluit. Ille corpus ſuum mille periculis obiecit, & cum SERENISSIMVS IOANNES CASIMIRVS IV. Rex Poloniarum, contra rebelles ſubditos ad *Zborouum* auſpicatiſsimè depugnaret, ille eadem tempeſtate ad *Zbaráż* obſeſſum militem, contra eoſdem perduelles animabat, hoſtes crebris eruptionibus frangebat, & quod ſera mirabitur ætas, exiguam bellatorum manum aduerſus innumerabilem coniuratæ plebis multitudinem, verbò, manu, & exemplo, incitabat, confirmabat. Verè tum ille fortis conſtanſq; fuit, cùm hoſtem Patriæ duceret eſſe ſuum. Et hæc Tuorum Maiorum ſunt merita, hæ Virtutes, quæ ſe actionibus non vulgaribus, quaſi lineamentis, & viuis coloribus in oculos omnium ingerunt, vt iudicatu difficilè ſit, illiné maiorem gloriam acquiſiuerint, cum formidabiles hoſtibus eſſent, an Tu ijs artibus, quæ pacis ſunt, virtutibusque illorum lucem reddideris auctiorem. Audacioreſné illi fuerint, in rebelles & contumaces hoſtes, an Tu miles togatus aduerſus animi paſsiones frenandas felicior. HancTu diuinam Iagellonis Pro-Patrui Tui indolem, & aliorum

D Ducum

DVCVM CZARTORYSKI fortitudinem, ſapientiâ, manſuetudine, ex Samuelis Korecki Ducis inuicti, animi robore, & Ducum in Wiśniowiec, felicitate mirè temperatam, ſic expreſsè, ſic abſolutè refers, vt & paci, & bello, natus videri poſsis. Simulq; & ad clementiam ciuilem factus, & ad fortitudinem bellicam inſtitutus. Neque enim verendum, ne Tuæ in pace, inſignes virtutes, minus ſint lucis, & ſplendoris habituræ, quàm Tuorum Maiorum in rebus bellicis, egregia & præclara facinora; nam belli decora, tantum formidoloſa mirantur homines, nec ij tamen, aut omnes, aut ſtrenui & cordatiſsimi. At prudenter, manſuetè, moderatè, iuſtè facta, tum optimus quiſque, tum omnes mirantur ſimul, & non modò mirantur, ſed etiam amant effuſiſsimè. Quæ quidem ego, niſi Tuorum Maiorum geſta bellica eſſe magna prædicem, vt ea vix cuiuſquam mens, aut cogitatio aſſequi poſſit, aut amens, aut impudens ſim neceſſe eſt. Sed tamen Tua præſtantiora, & omnibus chariora, quæ nulla eſt obſcuratura obliuio argumenta virtutis. Virtutes bellicas, vt ait Romanæ Parens eloquentiæ Cicero, ſolent quidam extenuare verbis, eaſque detrahere Ducibus, communicare cum militibus, ne propriæ ſint Imperatorum. Et certè in bellis, Martis dubio ancipitique euentu, militum robur, & fides, locorum opportunitas, auxilia, & vires ſociorum, inſtructæ claſſes, apparatus copioſiſſimi, multum adiumenti conferre videntur. Maximam vero partem, quaſi iure ſuo fortuna ſibi vendicat, & quicquid feliciter, & ad voluntatem Ducum geſtum eſt, id pæne iactat, & oſtentat omnibus ſuam eſſe fauoris teſſeram. At Tuæ laudis, & gloriæ PRINCEPS ILLVSTRISSIME, quam Virtus Tua conſecuta eſt generoſa, ſocium habes neminem, excludis comites, totum hoc, quantumcunque eſt, quod certè eſt ampliſſimùm, & omnibus ſeculis deprædicandum, totum eſt inquam Tuæ induſtriæ, & diligentiæ. Nihil ſibi ex iſta laude Tuus ProAuus Illuſtriſſimus, nihil Auus Prudentiſſimus, nihil cognati, affines, Tibique neceſſarij, bello & victorijs conſpicui decerpunt. Quin etiam ipſa rerum humanarum Domina, vel vt alijs dicitur falſo cæca Dea, in ſocietatem tanti honoris ſe non offert. Tuæ Virtuti cedit, quam propriam, hæreditariam, magnam, amplam, & auguſtam admira-

tur

tur, colit, & obseruat. Diuinitus Tibi inprimis, illis vitæ rudimentis, imbelli, & nondum satis confirmato, corroboratoq; viuendi tyrocinio, illustria virtutis indita fuêre indicia. Inter illa, quasi cunabula, & elementa, modestiæ, pietatis, pudicitiæ, dignitatem Tuam atque adeo publicam de Te spem non vano, nec inani augurio prænotabant. Roma religionis Sanctissimæ sedes, & augustissimum imperij æterni caput, gentium, & terrarum omnium, admirandum compendium, & perfugium Christianæ Sanctitatis, Princeps & domina Scientiarum, & artium Parens optima, eruditionis Magistra, ac virtutum Sanctarum officina. Cum intelligentiæ magnitudinem Tuæ tractando ea studia, quibus vita ad omnem probitatem & honestatem informatur, & comprehendendi facilitatem suspexisset, cum Theologiæ, quæ sola apud Te non est, sed artium aliarum pulcherrimo comitatu decorat, sedulo & gnauiter operam dantem est admirata, ad illustrem honorum accessionem, ex eruditione, & præstantissimorum operum magnitudine prouenientem, Te non modo manu ducere, sed inuitare non dubitauit. Verum ego Te ILLVSTRISSIME PRINCEPS, non ex inde amplum præconium, quod Romæ sanctè & religiosè viueres, quod Italiam peragrares, meruisse existimo, cum id populare, & domesticum sit omnibus: sed quod hæc ageres, quæ Te loco, ordine, nomine, existimatione, magnoperè insignem, cæterisque ornamentis apud omnes efficerent admirandum, & domum redires probitate vitæ melior, & Sapientiæ thesauris auctior & cumulatior. Dignum & idoneum Te præstitisti, spemque optimam præbuisti, Te eum ciuem fore, à quo aliquando Patria, consilio, patrocinio, iuuari ac defendi posset. Cùm enim Sanctissimus in terris Christi Vicarius VRBANVS VIII. tàm raras, insolitas præclarasque virtutes, & celebritatem generis priùs non tenui famâ, aut peruagato sermone didicisset, quam præsentem aspexisset, mox manu illâ, quâ vniuersum orbem tunc regebat pacatè, & feliciter, benedixit, vt copiosa incrementa assumeres, virtutum, vt animosus stares in periculis Patriæ, & Ecclesiæ propulsandis. Aspexit Te feliciter Patria, reducem ab Italiâ, accepit cum magno desiderio, quem non sine multorum euentuum

 formi-

formidine dimiserat. Erant tunc oculi omnium in Te vnum coniecti, exspectabatur ab omnibus Ordinibus cupidissimè, quantùm admiranda virtutum Tuarum vbertas profunderet fructuum. Datus in Canonicum summum & primarium Ecclesiæ Cathedralis Craçouiensis, manifestam expectationem hominum, & insitam de Te opinionem insigni Tuorum operum præcellentiâ & dignitate superâsti, vt facilè intelligerent, Te magnâ authoritate, dignitatem & munus Episcopi honorificè posse sustinere. Atque ista Tibi gradum ad Rempub: hæc primùm aditum, ad summam existimationem, & ascensum fecerunt. Non obrepsisti ad honores, Maiorum duntaxat commendatione, non ambitione, aut luxuriantis cæco fortunæ fauore; sed venisti eo cursu qui semper patet magnis & amplis virtutibus. Tuum Sacerdotium, tanquam florens virga Aaronis, quæ folia suauia, flores, & fructus vberes producebat, folia quidem, verborum, exempla, flores factorum, honestatem, fructus autem proximi charitatem, continentiam vitæ emittere videbatur Quæ tum facundia, quæ potentia Orationis Tuæ fuit. Cùm in varijs Templis Religiosorum virorum, ex Cathedrâ furorem Hæreticorum, honorem Diuinum nimis oppugnantium, sermone sacro coerceres, odijs maximis, animos illorum ardentes, ex oraculis Sanctorum Patrum, testimonio sacræ Scripturæ adducto, mitigares, sopires, & extingueres. Veram solidam & salutarem doctrinam, cælestis atque Romanæ fidei, in animis contumacibus, & obsistentibus spargeres, atque disseminares. Omnes enim neruos, & ætatis, & industriæ, eò conferebas, ne æquitatem improbitas, consilium temeritas, rationem furor, fidem, pudicitiam, Sanctimoniam, perfidia, impudentia, impietas, euerteret, & profligaret. Mellita Tua Suauiloquentia, nunquam lutulenta fluens, sed semper Tibi similis, Auditorem iucundissimo artificio, in stuporem rapiebat, raptum delectabat, delectatum erudiebat, eruditum meliorem, dimittebat. Non poterat strictis & angustis Tua clarissima expectatio contineri limitibus, non poterat domesticis tantum, aut popularium, vsque satis ornari sermonibus, nisi etiam non tenui, nec obscurâ auditione, apud Sacram Regiam de Te increbresceret Maiestatem. Admiranda profectò,

hæc

hæc Tuæ Sacræ eloquentiæ vis, & potentia, priuſquàm Poëtarum carminibus, annalium monumentis, elogijs Oratorum ornaretur, Sapientiſsimi Regis iudicio, grauiſsimi Senatus authoritate, totiuſque Nobilitatis fauore, & notâ ſingulari promeruit celebrari. Videbat Rex Prudentiſsimus, in Capitulo Ampliſsimo Cracouienſi, Te magnoperè fructuoſum, quantùm in cultu diuino exornando, labore contenderes, quantùm Te Eccleſiæ impenderes, quantùm moderatione, honeſtate, humanitatis facilitate, omnibus comem, affabilem, benignum Te præſtares, & quemlibet etiam inferiore loco, ab aſpectu, congreſſu, non prohiberes, ſed paternâ proſequereris beneuolentiâ. Videbat claras & apertas Tuas virtutes, nullis argumentis, aut ſignis indigere luculentis, ſimulque idoneum Te duxit, quem & Senatui grauiſſimo, veracem conſiliarium, tanquam in aulâ Regis Dauid *Chuſai*, quod eſt prudens conſilium, non perfidioſum *Achitophel*, quod eſt fratris ruina, & Patriæ Senatorem, prudentiſſimum, & Eccleſiæ Epiſcopum pientiſsimum, deſtinaret, addiceret. Neceſſarium & perquàm vtile arbitratus eſt, vt in Patriâ & Eccleſiâ functiones glorioſè, & laudabiliter perageres, grauiſſimo & ſapientiſſimo ſuo iudicio comprobare. Vt celeberrimum Tuæ gloriæ theatrum, patentiſſimus maioribus virtutibus campus, ampliſſimum excellentiorum meritorum pignus, & donatiuum, latiſſima laborum Tuorum area, & Circus extaret in omnem poſteritatem. Et tametſi non modò in Regno noſtro, ſed toto orbe terrarum, grauiſſimum conſilium, honorificè produci ad nobiliſſimum, & honoratiſsimum conſeſſum, à quocunque Regum & Cæſarum poteſtate, magnifica & illuſtris ad omnem immortalitatem fortuna, putanda ſit: tamen à Summo Monarchâ Poloniarum Rege Sereniſsimo IOANNE CASIMIRO IV, in quo perfectiſsimè ineſt, quod cuiquam Regum, aut Diuina benignitas, aut fauor & clementia cæli, aut natura elargita eſſet, quo nullus prudentior, nullus perſpicacior, in cenſendis virtutibus exiſtimator, nullus effuſior, in remunerandis laboribus remunerator; ab hoc, inquam, Sapientiſsimo, & Prudentiſsimo Rege, in ſublimem ac excelſam euehi, Eccleſiæ dignitatem, longè auguſtiùs, & humanâ altiùs felicitate. Prouidit nimirùm Sapientiſsimus, iuxta ac Fortiſsimus Rex, qui omnia ſua

 conſilia,

consilia, curas & vigilas, in Reipub. salute, ac dignitate Regni amplificandâ, ornandâ, defixit. Te nihil acturum, nihil vnquam susceptutum, quod non ad bonum commune tuendum, & perenne ornamentum Ecclesiæ, pertineret conseruandum. Quæ prudentissima auguria, spe de Te non mediocri, nec incertâ conceptâ, iam omnibus numeris, compleuisse videris, & quicquid ille à Te exspectandum prouidit,& prospexit,iam fecisti. Iam non Tibi, sed communi bono, Ecclesiæ decori, muneri fideliter obeundo, sanctissimè viuis. Omnia negotia, sedulitatem, nauitatem, dexteritatem, ad cultum Diuinum promouendum, luculenter exhibes, felicitatem Tuam, non animi fastu, non supercilio graui, & arrogantiâ,non vllis priuatis emolumentis, sed totam publicis Patriæ commodis metiris. Superiores honore, cultu, & obsequio, æquales comitate, affabilitate obstringis Tibi,& deuincis. Quid enim hic commemorem? singularem disciplinam, seueritatem, sanctimoniam Aulæ Tuæ, à quâ non aliter,quàm olim à sacris Eleusinis,impij, nefarijque voce præconis submouebantur. Tu procul repellis, & abigis improbos omnes, totamq; illam Principum aulæ, familiarium vitiorum cohortem, adulationem,ambitionem, arrogantiam vanitatem, versutiam, licentiam, violentiam, luxum sic stirpitùs exscindis, & eradicas; vt frugalitatis, modestiæ, simplicitatis, integritatis exempla,& imagines,non aliundè meliùs, quàm à Tuo Palatio priuatas in domos referantur. Magnus Propheta propter incredibilem patientiam, summam humilitatem, fortitudinem, & alias innumerabiles virtutes, charus Deo,& acceptus Psaltes Regius Dauid, summis laudibus, ac planè Diuino elogio, extollit arbores, in arduis montibus & excelsis plantatas. *Saturabuntur ligna campi, & Cedri Libani, quas plantauit, illic passeres nidificabunt.* Quæ est tanta sublimitas arborum, tam excelsa altitudo, quæ cacuminibus suis, cælos ipsos, quibus altius præter ipsum Deum nihil datur, adeò tangit, vt nec manus hominum, nec oculus contingere possit? Si Diuo Hieronymo & Symmacho credimus. Ligna Domini, vel Dei, non campi sunt, illi qui supremam dignitatem in Ecclesiâ obtinent, qui plenum solicitâ anxietate adeunt populi officium; nullus enim alius plantauit, rigauitque operarius, quám Deus, non alia intentione, non alio certè respectu, & fine, in montibus excel-

sis, in

ſis, in arduis locis poſuit has arbores ſublimes, niſi vt in illis *paſſeres nidificarent*; vt oppreſſos potentiorum iniuriâ defenderent, calamitate releuarent, miſeris & afflictis hominibus, in ærumnoſâ vitâ conſtitutis, conſilio, manu, ope, ſingulare patrocinium præſtarent. Liceat mihi PRINCEPS ILLVSTRISSIME, verbis exprimere, quod omnium oculis luculentiſſimè eſt expoſitum. Tu es arbor Domini vel Dei, in montibus excelſis plantata, genere DVCVM celebris, prudentiæ præclaris fructibus ſublimis, ſapientiæ altitudine conſpicua, inſignis, & præſtans. Te vnum ex arboribus Domini vel Dei, Epiſcopis eſſe, in quibus Pontificiarum virtutum omnia inſigniter eminent ornamenta, adeò eſſe ſublimem, & excelſum, vt in humeris, ramorum inſtar, Tuis, *paſſeres nidificent* Tua enim Aula temperantiæ, caſtitatis, ſapientiæ, aut collegium eſt, aut Academia liberalitatis, aut munificentiæ, in quâ Princeps ipſe lex es, Idea religioſi Sacerdotis, norma vitæ & regula, amuſſis & ſpecimen, omnis humanitatis & beneficentiæ. Si quis fame ſitiq́ue extabeſcit, cibo potuq́ue mirificè recreas; ſordidatis & pannoſis hominibus, tribuis amictum, non tegendi modò, ſed pænè ornandi gratiâ comparatum. Deficit quempiam res frumentaria, Tu prouides; ſi quotidiana domeſtica alimenta, Tu ſuppeditas; vt multa in paucâ conferam, nullos viros eſſe Religioſos, doctos, eruditos, quos Tua ſingularis beneficentia, maioribus in dies beneficijs, non ſuſcipiat excolendos, ornandos, ditandos. Quid à Te non tentatur, quod non accuratiſſimè pro religione, ſacris legibus Eccleſiæ & inſtitutis, ſine vllâ propemodùm intermiſſione elaboratum, vt Te eo honore, & præſtantiſſimo munere dignum oſtendas, vt lignum Domini, Diuinâ gratiâ plantatum, in monte excelſo & ſublimi irrigatum exhibeas, Non Tuæ Tu commoditati, ſed publicis, Patriæ, vel priuatorum, qui ad Te, tanquam ad Aſylum, confugiunt, emolumentis inſeruis. Iura, & legum integritatem, Tuæ fidei commiſſa defendis acerrimè. Quod ſi alicuius innocentiam, aut libertatem aliena impetitio inſolens, aut auara oppugnat, Tu fraudulentas machinationes, animosè retundis: Cùm improbitati, legum ſeueritatem, innocentiæ, facilitatis, æquitatis, oſtentas aram atque perfugium. Tu vigilantem Patronum, hominibus in magnâ re-

rum conuersione, ne extremam patiantur calamitatem, declaras Te Patrē & Pastorem. Non illi Te Patre & Patrono dolent, se iniuriam perferre, communi legis, & æquitatis, arceri perfugio: non cum lachrymis, & singultibus maximis, impunitatem ali, & foueri, nocentium audaciam, innocentium contemni calamitatem, facinorosos temeritate, furore, amentiâ exultare, homines miseros, egenos, etiam deplorandi sui iuris potestatem amisisse non conqueruntur: sed alacri animo, & læto gestiunt & triumphant, in tantâ rerum communium, & priuatarum fluctuatione. Sidus quoddam sibi benignum & salutare exoriri, cuius lumine benefico, ex hac se, legesque, suas, fortunas, credunt excempturos tempestate: Spe fidelitatis Pastoritiæ, se sustentant, quòd non alio animo, non aliâ curâ, non aliâ solicitudine, illis profuturus sis, quàm quali semper in religione tuendâ, & cultu diuino propagando fuisses, Quamobrem cùm pro religione, & Deo, impensè semper solicitus futurus sis; conscende istud immortalitatis gloriæ theatrum, præclarissimis virtutum Tuarum meritis præparatum: progredere feliciter omniū felicissimus, beneuolentiâ & fauore ad Ecclesiam, clero pientissimo, Scholâ Academicâ eruditissimâ, Senatu Ciuitatis, consilio, grauitate florentissimo refertam: quam Tibi Deus Optimus Maximus, cum Vniuersâ Diœcesi commisit, & concredidit gubernandam. Ascende in Templum, omnis sanctitatis, pietatis, iustitiæ sacrarium, non albescentibus vectus equis, sed bonis Te honorificè prosequentibus votis, & acclamationibus. Non laureatos, ex hostibus deuictis, triumphatis, fasces & spolia, ambitiosè ostentans, sed heroicis virtutibus circumfulgens. Immortalium actionum, veram & solidam præferentem accipe Infulam, & Pedum, luculenta virtutum Tuarum excellentium testimonia. Cùm verò in solio Episcopali, in summo amplissimi Capituli consessu consederis, humanaque omnia infra Te, Tuumque animum posita, quasi abiecta, & contempta fueris intuitus; Academiam Cracouiensem, tot Præsulum, summorum & primariorum Sacerdotum Parentem, seu filiam D. IAGELLONIS eam magis conuenit appellari, nam ancillam pro Tuâ bonitate vetas. Illam inquam Academiam, Illustrem & vnicam Scholam Regni, in Septemtrione, vnicum literarum domicilium, vnde religionis & cultus

cultus diuini, cum summo studio, ad populos promanat, & profluit. Sanctitas, vnâ cum Filiâ Posnanien. Coloniâ, pro Tuo maximo in literas studio, & amore, paterno complectaris affectu. Venit enim illa in spem non dubitatam, & certam expectationem, reditura Tecum ILLVSTRISSIME & Magnanime PRINCEPS, nimis in se contestata officia: Clementiam ROZDRAZEVII, liberalitatem OPALINSCII, munificentiam LVBRANSCII, beneficentiam SZOLDRSCII. Non ancipiti spe metitur fortunam suam, quòd Tuâ insigni & præclarâ authoritate Academicam dignitatem, & felices successus literarum, fouebis & conseruabis. Illa enim-verò quantum studium, quamque fidelem protectionem à Te, ad suam dignitatem tuendam, promouendamque allatam esse cognoscet, tantùm ardentibus votis, & supplicationibus, apud Diuinum numen, ad aras Diuorum suorum Tutelarium adlaborabit: vt postquàm innumeros dies, placidissimosque numeraueris, & magnorum operum cogitationes, de Ecclesiæ bono, ad fructus suauissimos produxeris, Orbi, Patriæ, & bonis omnibus, Reipublicæ Polonæ, decus ornamentum vnicum, & gloria, diutissimè & vel æternùm dicaris, nuncuperis

DIXI.

D. O. M.

INSIGNIA

ALMÆ ACADEMIÆ CRACOVIENSIS.



Quod regnum iuuenum, Rex & Respublica fecit,
Per Sceptrum duplex mater id alma tenet.

Impensis Generosi Domini,

BARTHOLOMÆI NOWODWORSKI,

Equitis Meliteñ. Commendatoris Posnanieñ.

n
ds,

bo
cha
ne
quà
viu
faſ
æu
æq
vt
à c
fu
lit
Pa
be
di
al
ès
e
ç
t
n
e